

05

A

2513





DISPUTATIO PNEVMATICA
De
VITAE DEI,

Quam
Deo Teroptimo Maximo Annuente

P R Æ S I D E

V I R O

Præ-Eximio atq; Clarissimo

DN. M. JOHANNES MANITIO,

Sereniss. Elect. Saxon. Alumno.

*Præceptore suo atque Fautore omni observantia
& officiorum genere atatem devenerando.*

Publicæ τῶν Φιλοσοφῶν συζητήσεως
exponit

FRANCISCUS ENDERLINUS,

Lindaviensis Acronianus.

Ad diem 16. Januarii, horis antemeridianis.

In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt/

A. O. R. M. DC. LXIV.

De M: 9

DISPUTATIO PNEUMATICA
VITAE D. E. L.

Deo Tercentimo Maximo Anniversario
M D C C C

DM. M. JOHANNES MANNITIO,
Socius Theol.



05 A 2513

FRANCISCUS ENDERLINUS,
Lindavienſis Actoricus.

Abſolutio
Inſtitutio
M. D. C. C. C.
M. D. C. C. C.
M. D. C. C. C.

Handwritten scribbles and initials





Præloquium.



Ita, quam Deus indulget, DEO iterum impendenda. Vita nostra sine DEI meditatione bona nunquam est. Sine DEO miserum est vivere; miserrimum v. malè vivere. Homines ad id conditi sumus & vitam accepimus, ut essentia Creatorem & vitæ Datorem largissimum largissimis deprecemur encomiis, ejus laudes meditemur & magnifica ejus opera magnificemus. Nemo se sine DEO novit, qui autem DEUM novit, seipsum quoque cognovit, & qui seipsum rectè agnovit, DEUM quoque in se tuetur. Conformanda nostra vita ad DEI vitam imitemur ejus bonitatem & sanctitatem, & vitam verè bonam atque sanctam vivemus. Intueamur ejus in vivendo perfectionem, & verè perfecti erimus. Solliciti homines sumus de rebus terrenis ac caducis acquirendis: ac paucissimi de æternis ac permanentibus possidendis curam suscipiunt sedulam: imò quò majori industriâ illis inhiamus, eò minori studio has sectamur. Ingratè notam incurrit is, qui benefactori suo, unde, ut benè vivere possit, accepit, promeritas non agit gratias: ingratisimi igitur nomen meretur ille, qui non tantum non DEO vitæ Datori agit gratias pro vitæ ex merè bonitate sibi concessâ, sed ne semel quidem agnoscit vitam, unde habeat, & ad cujus vitam mutuò quasi sibi data vita sit conformanda. Maximas nuncupamus laudes benefactoribus nostris, nec malè, nec illaudabiliter, quia ab illis habemus, unde benè vitam civilem instituere queamus: Quantò ergò majores illi debemus, qui non tantum vitam, non saltem felicem, sed planè beatam & spiritualem largitur vitam. Nihil nobis est, quod red hosti in loco eidem ferre possimus: nihil totum hoc univèrsam alit, quod simile tetribuere valeamus. Nihil, inquam,

habemus, præter id, si, quod accepimus, DEO remittamus. Con-
cessit ille nobis bona fortuna: inserviant ea nobis non ad nostram,
sed Dei laudem ampliandam: dedit bona animi: agnoscamus igitur
eius bonitatem, eandemq; celebremus. Ipsam vitam & omnia,
quacunq; nostra, si verè nostra sunt, largitus est: Quis ergò tam in-
gratus foret, quinon totam suam vitam divina impendat gloria?
DEI itaq; Vitam meditemur, DEI laudes deprædicemus, & vitam
neq; indecoram, neq; culpabilem vivemus. Quamvis verò Vitam
DEI utpote singularissimam, perfectissimam & captum huma-
num transcendentem longissime propter intellectus nostri imbe-
cillitatem exactè satis & perfectè, accuratiori licet eandem in-
tueamur oculo, perspicere haud queamus: nihilominus in quan-
tum ex natura lumine, seposita Scriptura S. revelatione, quæ
plenior & exactior aliàs suppeditat cognitionem, eandem
nobis innotescit, in tantum quoq; eandem considerabimus.

Vires & Vitam det mihi Vita DEI!

THESIS I.

Attributa DEI, quæ ratione nostri concipiendi modi,
varia sunt, variè quoq; distribuuntur, & eò major est varietas,
quò majorem quisq; sibi fingit concipiendi licentiam. Nostrium,
quod per tractandum suscepimus, attributum, ad absoluta &
communia referimus, non ad respectiva neq; propria. Respectiva
enim vel respiciunt ἐνέργειαν, hinc consideratur DEI misericor-
dia, justitia &c. vel præsentiam, inde omni præsentia. Propria
verò vel negativa vel positiva sunt. Illa respiciunt partim negatio-
nem quantitatis, ut infinitas & immensitas: partim negationem
qualitatis, ut immutabilitas & immortalitas: Hæc vel inferunt
actionem, ut omniscientia & omnipotentia: vel durationem,
ut æternitas. Ad quæ quùm referri nequeat Vita DEI, utiq; ad
absoluta atq; communia pertinebit attributa. Neq; tamen ad
communia ratione entitatis, qualia sunt perfectio, unitas, veritas
& bonitas: sed ratione spiritualitatis, quæ ex subsequentibus,
postquam prius à nobis probatum fuerit, vitam DEI verum at-
tributum esse, clariora erunt.

§.2. An.

§. 2. Antequam autem illud fiat, laborem non inanem, sed sat fructuosum nos suscepturos esse firmiter nobis persuasum habemus, si quandam prius *nominis evolutionem* præmiserimus. Ita enim non tantum methodum hæcenus consuetam observabim9: sed & subsequencia multò faciliora erunt, quùm nomina rerum sint vehicula, quæ ad rerum penitralia feliciorum & faciliorem nobis conciliant aditum.

§. 3. *Primum* autem quoad *ὀνοματολογία* notamus *παρω-
vυvίας*. Derivatur *vita a vivo*, quod apud Grammaticos hæcenus indubitatum est. *Scaliger* à *βίω* deducit. *Isidorus* vitam dictam putat propter vigorem vel quòd vim habeat vigendi ac crescendi. Hanc primam nominis impositionem si considerare velimus, attendenda forent ea, quæ habet *Bello-Visius Tract. 2. c. 51.* prolixè ab eodem recensita & eadem serie repetita à *Dn. D. Klozio Diss. 12. p. 643.* ubi dicunt, *nomen vitæ ex hoc sumptum fuisse videri, quòd aliquid à seipso possit moveri, atq; ideo ex hoc dicta esse primò aliqua vivere, quia visa sunt à semetipsis moveri: ea verò quæ visa sunt non moveri, nisi ab aliis mota, dicta esse mortua.* Ita ex motu suo *argentum vivum inde dici vivum, & aquas ebullientes ex impetu motus sui denominari vivas, stannales è contrario vocari quiescentes & mortuas.* Atq; hinc speciatim postea mansisse nomen vitæ istis rebus, quæ intrinsecum habent principium suarum actionum, quales sunt plantæ, bestię & homines, quæ vivunt vitam partim vegetativam, partim sensitivam, partim intellectualem. Quùm verò vita intellectualis nobilissima sit propter actum intellectualem, quo nobilior non datur, & actus iste specialissimo & perfectissimo modo reperiatur in DEO, utiq; nec DEO vita hæc intellectualis denegari poterit: Imò tantùm abest, ut eidem denegetur, ut potius modo perfectissimo & eminentissimo eidem tribuatur & reverà conveniat.

§. 4. *Deinde* quoad *ὀμωvυvίας* notandum illud i. est, quod vitam DEO tribuamus *non prædicamentaliter*, prout nihil est aliud, quam ipsa anima, quâ corpus animatum vivit: *Sed transcendentaliter & eminenter.* Sicut autem vita prædicamentaliter accepta nihil aliud est quàm anima: ita quoq; non aliter ac anima dividitur in vegetativam, sensitivam & rationalem, de quâ vitâ *Physici* est discurre, non *Pneumatici*. Hinc *removemus 2. à Deo Vitam*

physicam, non quidem eo sensu, ac si Dei vita eidem non sit natura-
lis aut naturaliter sive essentialiter Deo conveniat: sed quod in
genere corporum talis ei vita non possit assignari tum propter
esse incompletum, tum propter esse materiale. Incompletum e-
nim quid est vita Physica, quum pars quaedam sit, quæ naturâ suâ
ad complendam alterius essentiam est destinata. At Deus nec
pars est, nec per se ad alterius essentiam complendam ordinatur,
sed perfectissimus & sibi sufficientissimus, ita ut qui Deum par-
tem dicere velit, tollat ejus perfectionem & simplicitatem: & qui
eum ordinatum dicere præsumat ad complendam alterius essen-
tiam, ejus destruat *autem* *autem*, adeò ut Deus amplius nec esse nec
vivere possit, nisi sit aliud quid, in quo vivat, quod de Deo affir-
mari sine blasphemiam non potest, quum sic non tantum vita Dei,
sed & ipsum esse sive essentia, unâ cum omnibus aliis attributis
destruatur. Materiale quid est ipsa quoque vita Physica, non ea
quidem omnis, non rationalis, sed vegetativa & sensitiva, quippe
quæ tum in esse tum in operari à materiâ dependet. Non ac si
ratione essentiam aliquid materiæ in se habeat, sed quod nec esse
nec operari possit, nisi in materiâ. Quis verò adeò absurdus fo-
ret, qui talem Deo vitam assignare velit? rationalis verò etsi non
simpliciter in materiâ esse & operari debeat, sed extra eandem
quoque tum esse tum operari possit, quia tamen à materiâ aliquo
modo dependet, & ad eandem informandam ordinatur, Deus
autem nullâ prorsus ratione à materiâ dependeat, ideò nec talis
vita eidem competere poterit. *Tribuimus ergo Deo vitam spiritualem non indeterminate acceptam & in genere, prout à spirituum inferiorum vitam præscindit sed determinate, non prout est actus vitalis à vitam in actu primo spectata realiter diversus, & fit per actuum multiplicationem & successionem, quomodo Angeli vivere dicuntur: sed quatenus simplicissimo & perfectissimo modo consideratur, prout omnem & multiplicationem & successionem actuum vitalium excludit, & non fit per aliquid ab essentia Dei diversum aut ab eadem productum, sed quatenus fit immediate per ipsam divinam essentiam.*

§. 5. Huc facit *Distinctio vite in effectivam, activam & contemplativam.* *Armandus de Bello Visu tract. 2. c. 35.* duplicem saltem vitam facit activam & contemplativam, & dicit, quod *contemplativa vita consistat in operatione intellectus secundum seipsum; activa verò*

in operatione intellectus & rationis, secundum quod ordinat & regit & imperat potentiis animae inferioribus, natis sibi obedire. Sed noster tium cum *Caso in Spec. quest. moral. pag 2. & 663.* aliisque addimus membrum, nempe vitam *πρακτικὴν*, & hanc recensemus serie: *Effectiva* operantium est sive opificum, qui de materiâ externâ externis corporis membris opus aliquod in sensus incurrens producant. *Activa* consistit in praxi honestarum actionum, prout vir prudens omni studio voluntatem suam eò dirigit, ut per virtutis exercitium ad practicam aspiret felicitatem. *Contemplativa* est speculantium, qui teoriâ rerum necessariarum veritatem earundem investigando solliciti vivunt. *Prima ποιητικὴ* vita à Deo est aliena, praesertim, quum ejus effectiones illiberales dicantur atq; ad usus virtutis & actiones nihil faciant, hominumq; aut corpus inutile efficiant, aut animum aut mentis agitationem teste *Philosopho l. 8. Polit. c. 3.* Praeterea fiunt ejus effectiones in materiâ externâ, quâ Deus opus non habet, quum & sine ullâ praesistente materiâ opus aliquod possit producere & actu quoq; totum hoc universum produxerit. Adhibent in super Artifices externa corporis membra, admovent operi perficiendo externa instrumenta, sine quibus materiae formam arti suae competentem non possunt induere. At Deus istis non indiget, nec membra illi propriè nisi *κατ' ἀνάγκην* assignari possunt. Deniq; Artifices non tam honestatem quam utilitatem respiciunt, ut commodi vel lucri quid inde reportent: at Deus quum tale quid non intendat, non lucrum aut proprium commodum, neq; adhibeat externa corporis membra, neq; materiam praerequirat externam, neque ullo modo illiberalis dici possit, itaq; nec effectiva ejusmodi vita eidem poterit convenire.

§. 6. *Deinde nec ποιητικὴ* vita Deo propria est. Versatur enim illa circa contingentia & mutabilia, occupata quoq; est circa moderamen affectuum, imò tota ejus actio est virtutis studium: at nullum istorum Deo potest appropriari. *Primo* Deus mutabilis non est nec mutabiliter agit, sed planè immutabilis & invariabilis: *deinde* nec opus habet affectuum moderamine, quum omnis passionis sive affectus expers sit: *deniq;* nec virtutis studium propriè eidem competit. Quamvis enim hoc perfectionem inferat in creaturis, quia tamen ex consequente aliqua inde
Oritur

oritur imperfectio, eò quod sit habitus, qui antea fuit absens, Deo autem omnia sint præsentissima, quùm *en tō vū* æternitatis singula exactissimè tam præterita quàm futura tanquam præsentia intueatur: *item* quòd sit qualitas, & ita accidens, pariter Deo repugnans, ideò nec virtutis studium & per consequens nec vita practica Deo propriè potest accommodari.

§. 7. Remanet Ergò *vita contemplativa*, quæ Deo tanquam excellentior illis omni prorsus modo non denegari, nec adeò commodè quoad singula applicari poterit. Sunt enim adhuc multa imperfectionis indicia in vitâ hominis theoreticâ, quòd nempè ibi sit rerum ignotarum cognitio, rerum cognitarum admiratio, & veritatis in rebus admirabilibus sive per sensum sive per mentis discursum inquisitio, quæ & similia omnia à Deo quàm longissimè sunt removenda. Nam Deo nihil est ignotum, nihil admirabile, nihil per sensum & mentis discursum demum investigabile: omnia eidem sunt notissima tam singularia quàm universalia, tam materialia, quàm immaterialia: tam necessaria quàm contingentia: tam actualia quàm possibile: tam rationis entia quàm realia: tam negativa vel privativa quàm positiva: tam mala quàm bona: nulla ei sunt admirabilia, quippè quæ ignorantia sunt indicia: nulla nec per sensum nec per mentis discursum investigabilia, quia nec sensus habet, nec discursus eidem competit, qui ab ignoto ad notius procedit, quod itidem divinæ repugnat omniscientiæ. Omnes itaq; istæ imperfectiones à Deo sunt removendæ, & res ipsa Deo relinquenda. Deus contemplatur omnia, imò & seipsum sine ignorantia præcedentâ, sine admiratione succedentâ, sine sensatione discursivâ. *Habemus itaq; in Deo vitam transcendentalem, spiritualem, simplicissimam ac contemplativam.*

§. 8. Adducenda nunc forent *tertiò synonyma*. Verùm ne nimii simus in nominis declaratione, & hæc quoq; parùm faciant ad nostrum institutum, ideò statim ad rem ipsam pergimus.

§. 9. Describitur *vita Dei*, quòd sit *essentiale Dei attributum*, quo *essentia divina actuosè vivere & in seipsâ & ex seipsâ vi agendi movendiq; prædita esse, adeoq; agere & operari, ac agendo aliis etiam vitam communicare intelligitur*, definiente Dn. D. Jacobo Martini l. 2. exercit. Metaph. exerc. 4. theor. 16. *Magnif. Dn. D. Calovius tom. 2.*

System.

System. Theol. c. 9. vitam Dei definit, quod sit attributum Dei actuo-
sum, quo DEus semetipsum actuare intelligitur per actus intrinsecos
cognoscendi & volendi. Paulò aliter Dn. D. Klozius in Pnevm l. c.
eandem delineat: vita, inquit, est attributum Dei, quo intelligitur
essentia ejus se perfectissimè actuare per actus immanentes cognitionis
& volitionis. Satis accuratæ sunt istæ definitiones, verbis quidem
paulò aliter se habentes, at reipsâ haud malè convenientes.

§. 10. Essentiam vitæ divinæ priusquam explicemus, exi-
stentiam ejus ut probemus necessum erit. Pandectas quidem Scri-
pturæ S. si consulamus, dubium nullum esse potest, quin omnes u-
nanimi consensu fateamur, Deum verè vivere & aliis quoque vi-
ventibus vitam communicare, quòd toties Scriptura inculcat, quo-
ties vel DEum nominat verum & viventem: vel in solemnibus jura-
menti formulis DEum ita de se loquentem: Vivo Ego: introducit:
vel vivere DEum in æternum docet: vel in Deo vita esse dicitur, vi-
tamq; habere in semetipso: vel quùm fons & origo & causa vitæ con-
stituitur: vel quùm ut verus DEus ab idolis discriminatur, &c. adeò
ut ὁ θεὸς αἰὼν ὄντων ἡγούμενος ἐξ αἰετός Deus vitæ s. vivens dicatur.
Verùm de tali vitæ Dei consideratione agant Theologi. Nos li-
brum saltem naturæ evolventes videbimus, annon etiam ex eo-
dem Deus ut vivus demonstrari & probari queat, quod nos con-
stanter tuemur.

§. 11. Primam rationem proexistentiâ vitæ Dei probandâ de-
sumimus ab ipsius Dei essentiâ & colligimus hunc in modum: Q.
habet essentiâ, ille vel substantia vel accidens sit necesse est. Atqui
DEus habet essentiâ. E. Major inductione omnis omninò En-
tis manifestissima est. Minorem ut probemus, frustraneum esse
existimamus, quùm, teste Romanorum Eloquentissimo, nulla
gens tam barbara tamq; immanis sit, quæ Deum esse neget: stabit
ergò Conclusio. Deus verò non est accidens, quod nemo nisi ad
insaniam adactus affirmabit, erit ergò substantia. Posito hoc,
Deus erit vel substantia vivens vel non vivens. At non est sub-
stantia non vivens, quod itidem sine absurditate & blasphemiâ
statuere nullus poterit: E. erit substantia vivens. Hinc est quod
dicit Suarez. disp. 30. sect. 13. n. 3. quòd DEus sit substantia vivens non
solum evidens, sed etiam per se notum videtur, si semel DEum esse in
B rerum

rerum naturâ admittamus: nam incredibilius est aliquid inanime
tanquam lignum vel lapidem esse DEum, quàm nullum esse DEum.

S. 12. Altera à Dei spiritualitate desumitur: Omnis Spiritus
vivit vitam spiritualem: Atqui DEus est Spiritus. E. Minorem ne-
mo negat, nisi quis forsitan cum Trismegisto Deum per circu-
lum, cujus medium sit in centro, circumferentia ubiq;, delineare:
vel cum Platone Deum vocare animal immortale sufficiens sibi
ad beatitudinem, substantiam æternam, autorem boni in naturâ:
aut cum Tertulliano adversus Praxeam eum corpus nuncupare
velit, quæ tamen omnia partim figuratè partim improprie Deum
describunt. Prioris enim descriptionem figuratam esse quis non
videt? ubi per circulum indigitatur in Deo omnia esse æqualia:
per centrum verò individua & omnimoda Dei simplicitas. Po-
steriorum verò sententia eatenus tolerari non potest, si per ani-
mal vel corpus intelligant rem sensibilem: sin verò rem inanimatam
& nihilo oppositam h. e. veram naturam & substantiam, ut non-
nulli cum primis Tertullianum excusant, admitti quidem potest,
sed hæc lege, ut corrigant linguam & retineant mentem. Quia
verò nos proprie de Deo loquimur, ideò & Deum non nisi Spiri-
tum dicere possumus. Major suâ radiat luce, quia quodlibet
vivens suam vivit vitam, vegetabilia vitam vegetantem, sensibilia
sensitivam, ita & spiritualia deterioris conditionis non erunt, ut
propria & sibi competens vita illis sit deneganda. Imò potius
dicendum: Quò quid nobilior est, eò & nobiliorem vivit vitam:
hinc quia DEus nobilissimus & perfectissimus est Spiritus: ideò & ipse
vitam spiritualem nobilissimam & perfectissimam vivat necessum est.

S. 13. Tertio argumentamur ab ipsâ vite formalitate. Quæ enim
non movetur ab alio tanquam principio extrinseco, sed potius ex seipso
& in seipso per motum intrinsecum agit, illud vivit: Atqui DEus non
movetur ab alio &c. E. Major patet, quia formalis vitæ ratio in
eo posita est, ut ex se & in se aliquid actuosum sit & movendi prin-
cipium ex se & in se habeat. Minor itidem constat facilè, quia si
Deus aliquid extra se & præter se haberet, à quo moveretur, illud
vel esset creatum vel increatum. Si hoc, tunc nihil aliud quàm
Deus esset. Aut igitur Deus ab alio Deo moveretur, aut à seipso.
Si hoc, habemus quod volumus, sin illud, duo infinita conceden-
da forent, quod absurdum. Sin verò, illud creatum foret, tunc
Deus

Deus minoris perfectionis esset, quàm ceteræ creaturæ, imò *αὐτὸς ἐξ ἑαυτοῦ* est esse increatum, & tamen à creaturâ dependere.

§. 14. Hinc probamus quartò vitam Dei ab ejus independen-
tiâ. *Q. enim ab alio nullo planè modo dependet, ille nec in vivo ab alio dependebit: Atqui Deus nullo planè modo ab alio dependet. E. Si enim dependeret ab alio, dependeret vel à superiore vel ab inferiore. Non ab illo, quia Deus superiorem non agnoscit; neg, ab hoc, quia nullum infra Deum tantæ est virtutis, ut possit largiri vitam Deo: imò tantùm abest, ut creatura hoc præstare valeat, ut potiùs omnes omninò res creatæ tum in esse tum in operari ab ipso dependeant.*

§. 15. Arguimus quintò à summâ Dei perfectione. *Q. enim perfectissimus est, illi nullus perfectionis gradus deesse potest: Atqui Deus est perfectissimus. E. Minor per se clara est, quia nemo imperfectionis Deum arguere disertè & apertè præsumet. Major inde stabilitur: quia τὸ vivere est aliquis perfectionis gradus. Si autem Deo τὸ vivere denegandum foret, utiq; aliquis perfectionis gradus eidem denegaretur, itaq; perfectus esset, & tamen aliquid ei deesset. Quomodo autem perfectio cum defectu stare queat, non apparet? Damasc. lib. 1. de orthod. fide. c. 5. Deum non solum vocat τέλειον, sed etiam *ὑπερτέλειον καὶ προτέλειον* h. e. super perfectum & ante perfectum, quia non tantùm suâ perfectione omnes creaturarum perfectiones transcendit, sed etiam ante omnes alias perfectiones ipse solus est perfectissimus.*

§. 16. Sextò probamus Dei vitam ex viâ negationis. *Triples enim datur Deum cognoscendi modus, negationis, causalitatis & eminentiæ. Per viam autem negationis cognoscitur Deus, quando ab ipso removentur imperfectiones creaturarum: per viam causalitatis cognoscitur Deus, quando ex operationibus & effectibus suis colligitur. Per viam eminentiæ verò Deus apprehenditur, quando ipsi perfectiones creaturarum eminenter tribuimus. Conf. B. Dn. D. Scharff. in Pnev. l. 2. c. 1. Sicuti autem hæc triplici viâ Dei cognoscitur essentia, eadem etiam viâ attributa ejusdem cognosci poterunt, quia ab essentiâ divinâ realiter non distinguuntur. Cùm verò magna in creaturis sit imperfectio τὸ non vivere sive mors aut mortalitatis affectio, utiq; eadem à Deo removen-
da & neganda erit, si quis ad essentialem Dei vitam ascendere, & ad ejus cognitionem pervenire velit.*

§. 17. Inde septimo confirmatur Vita Dei ex viâ causalitatis. Omnis effectus testatur de suâ causâ, neq; ullus effectus nobilior aut præstantior est suâ causâ. Quicquid E. perfectionis reperitur in creaturis, non potest aliam respicere originem, quàm ipsam divinam productionem. At verò magna perfectio est ipsa vita in creaturis, & quò major ea est in aliqua creatura, eò & perfectior illa dicitur præ aliis. Hanc itaq; perfectionem, quùm creaturis denegare non possumus, siquidem quivis hominum propriam in se vitam deprehendat, utiq; nec Deo eandem denegare poterimus. Quòd autem Deus sit causa vitæ in creaturis probatu facillimum est. Aut enim vita nostra dependens est aut independens. Independens esse nullo modo potest, quia sic primò creatura aliquâ ratione dependens esset, & aliâ iterum ratione independens, quod absurdum. Deinde nullum attributum potest limites essentiæ suæ transilire: quùm verò essentia in creaturis sit dependens, talia quoq; attributa sint oportet. Sive itaq; vita in creaturis sit attributum sive ipsa essentia, dependens illa utiq; erit, & nullo modo independens. Si verò dependens est creaturarum vita, aut dependet à se aut ab aliâ causâ extra se. Illud dici non potest, quia sic aliquid causa sui ipsius foret & negativè reverà independens esset, quod absurdum. Dependebit E. ab aliâ causâ extra se. Hoc si verum, causa illa vel æqualis vel inæqualis erit. Ab æquali in totum dependere non potest, quippè quæ & ipsa dependens est, & præsupponit ascendendo aliquod independens: dependebit E. ab inæquali, non quidem inferiori, quia si æqualis causa sufficiens non est, multò minus inæqualis inferior: sed à superiori & profus independente. Hinc E. concludimus: *Q. competit dependenti (loquendo de perfectionibus non imperfectionibus) illud etiam competit illi, à quo dependet: Atqui vita competit dependenti nempe creaturis. E. & illi, à quo ratione vitæ creaturæ dependent nempe Creatori.*

§. 18. Vita Dei octavò asseritur ex viâ eminentiæ. Ut enim DEUS eminentiorem habet essentiam creaturis, ita quoq; eminentiora habebit attributa. Ratio consequentiæ ea est, quia qualis est essentia, talia quoq; debent esse essentialia attributa. Quùm verò essentia Dei sit eminentissima, ideò & eminentissima attributa sint necessarium est. Sicuti ergò aliæ perfectiones utpote bonitas, justitia, sapientia, &c.

tia &c. quæ creaturis in sunt, eminentiori modo Deo conveniunt & attribuuntur: ita & ipsa vita, quippè quæ non minima, sed longè maxima in creaturis est perfectio, eminentiori modo Deo venit assignanda, ita ut *μονοτρόπως* & *ἐξαιρέτως* vivere dicatur.

§. 19. *Rationem nonam ex vita opposito depromimus.* Vitæ opponitur mors, & viventi mortuum. Mors verò sive mortuum esse infert destructionem non perfectionem, privationem, non positionem. In DEO autem nulla est destructio, nulla privatio, adeoq; nec ulla imperfectio. DEUS enim non destruit se ipsum, quùm & in rebus naturalibus quodlibet sui appetat conservationem, ideoq; DEUS non quidem appetitu desiderii sui quoq; conservationem appetit, sed sufficientissimè sibi placet, & in seipso & ex se ipso vitam habet, non successivè, sed in instanti, ita ut nullum instans & momentum dari possit, quo DEUS non vivat & convenienter sibi acquiescat. Multò E. minus destructionem patitur ab alio. A superiori quippè hoc fieri non potest, quod planè non agnoscit, sed ipse Summus, Optimus & Maximus est: Multò minus ab inferiori. Si enim Angeli destructionem nullam patiuntur ab inferiori, multò minus DEUS eandem pati poterit, quippè qui planè *ἀπαθής* & nullius passionis neq; intrinsecè neq; extrinsecè est obnoxius. In DEO itidem nulla est privatio: imò tantùm abest, ut aliqua in DEO sit privatio, ut potius summa & infinita in eodem sit perfectio. Quis itaq; tam absurdus foret, qui DEO Vitam denegare & mortem ei tribuere velit? Sine manifestâ contradictione id fieri nunquam potest, cùm mors & vita, mortalitas & immortalitas *ἀντιδιηρημένως* sibi invicem opponantur, adeò, ut qui DEUM mortuum sive morti obnoxium dicere velit, DEUM non DEUM, immortalem mortalem nuncupare debeat.

§. 20. *Decimo pro vitâ DEI probandâ Gentilium quoq; Saniorum approbatio conjungenda erit.* Non omnes ligna & lapides pro Diis coluerunt, sed & bruta animantia adorarunt, etiam ligna & lapides religioso cultu profectæ sunt gentes, illis tamen motum & operationes quasdam tribuerunt. Aristoteles lib. de mundo testatur, Gentiles Jovem vocasse *ζῆνα*, i. e. viventem: *καλεῖσθαι δὲ τὸν Θεὸν ζῆνα καὶ Δία ὡς ἑλλήτως ἡρώμενοι τοῖς ὀνόμασιν ὡς καὶ εἰ λέγομεν δι' ὃν ζῶμεν.* *Deum quidem tūm ζῆνα tūm*

Alia vocant inter se compositis atq; e regione collocatis nominibus, tanquam duabus illis vocibus significare velint, per quem vivimus. Et l. 10. Eth. c. 8. nemo, inquit, est, qui non vivere Deum existimet.

§. 21. Tandem Undecimò omissis aliis rationibus Vitam DEI ex contrariarum rationum vanitate astruimus. Thomas part. 1. q. 18. art. 4. triplicem dubitandi affert rationem. 1. Quod ea dicantur vivere, quæ movent seipsa, qui motus quùm Deo non competat, ideò nec ipsa vita. 2. Quod in omnibus quæ vivunt sit accipere aliquod vivendi principium. Unde dicatur l. 2. de anima, quod anima sit viventis corporis causa & principium. Quùm itaq; Deus non habeat principium, ideò nec ipsum vivere Deo conveniet. 3. Quod principium vitæ in rebus viventibus, quæ apud nos sunt, sit anima vegetabilis, quæ non est nisi in rebus corporalibus. E. rebus incorporeis non competet vivere.

§. 22. Has dubitandi rationes solvit ipse Thomas l. c. Exactius verò Plurimum Rev. Dn. D. Deutschmannus in contempl. Phil. Theol. nat. Disp. 6. §. 19. seqq. Nos breviter, quod primum concernit dubium, Dist. inter termini vitæ primam impositionem & subsequutam usurpationem. Terminus vitæ primò quidem impositus est rebus illis, quæ seipsa movere videbantur, ut supra ex Armando de Bello Visu audivimus: post modum tamen generalius accipi & pro omni operatione usurpari consuevit, ita ut ea vivere dicerentur, penes quæ aliqua deprehenderetur operatio. Hinc major illa: *Q. non movet seipsum, non vivit: universalis non est, sed particularis*, quùm non loquatur de omni omninò vivente, sed de vitâ corporum naturalium tantùm. Quod si verò phrasis illa: *movere seipsum*, idem denotare debeat, quod operari, minor falsa erit, quia DEO operationes omninò conveniunt. Rectè E. distingvit Thomas inter actionem immanentem & transeuntem. Hanc, dicit, non esse perfectionem agentis, quod movet, sed ipsius potius moti, eò quod transeat in materiam exteriorem eamq; perficiat: illam verò esse perfectionem agentis, quùm in agente maneat, quales actiones sunt intelligere, velle, sentire: & hoc modo, quo intelligere est motus, & quod se intelligit, se movere dicitur, ex mente etiam Platonis posuit, quod Deus moveat se ipsum: non eo modo, quo actio est motus imperfecti. Ampliandus itaq; terminus motionis est & ab omni imperfectione liberandus.

§. 23. Quod

§. 23. Quod alteram concernit rationem, ad eam facile ex adducto Philolophi loco respondere possumus, dum dicit ipse: animam esse corporis viventis causam & principium. Loquitur E. *primò de animâ*, quæ respectum animati involvit, & sic corporum compositorum, non verò vitam spirituum simplicium probat. *Secundo* expressam facit mentionem corporis viventis, quod quum Deo non tribuamus, tali modo eum nec vivere, nec tale principium & causam suæ vitæ tribuere possumus. *Thomas* dicit: *Sicut Deus est ipsum suum esse & suum intelligere, ita & suum vivere. Et propter hoc sic vivit, ut non habeat vivendi principium.*

§. 24. Tertia itidem ratio semetipsam destruit, quum sermo in eadem sit de rebus viventibus, quæ apud nos sunt. Qualis autem consequentia hæc est: *Res corporales vivunt. E. res incorporeales non vivunt*, quasi unius positio esset alterius exclusio. Neq; sequitur hoc: *Q. tali modo non vivit, quali vivunt ea, quæ apud nos sunt, illud planè non vivit*, nulla prorsus hæc est consequentia. De modo, quo Deus vivit postmodum videbimus, hætenus Deum verè vivere firmiter probatum est.

§. 25. Demonstratâ Dei vitâ quoad existentiam, pergimus nunc ad ipsam essentiam, quæ in definitione reali explicatur. Dicitur *Vita Dei attributum*. Deo competere attributa, prolixè hoc in loco ut probetur, opus non est. Quum n. quælibet essentia sit principium primum & radicale omnium proprietatum & operationum, quæ rei conveniunt, & Deus essentiâ suâ non destituatur, attributa quoq; ut habeat necessum est. *Probandum modò est vitam esse verum Dei attributum*, quod constabit optimè ex attributorum naturâ & requisitis, quæ si vitæ divinæ applicari poterunt, eandem pro attributo, ut habeamus, rei veritas persuadet. *Dn. Scheiblerus lib. 2. Metaph. c. 3. n. 100. dicit: Attributa divina sunt inadæquati conceptus essentiae divinæ. Dn. D. Klozius disp. 5. Theol. nat. §. 8. p. 270. postquam varias variorum Scholasticorum utpote Gregorij & Marselij, Gabrielis, Niphi descriptiones adduxerat: omnium optimè, inquit, attributum ita describi putaverim, quod sit perfectio absoluta formaliter Deo conveniens & nostro concipiendi modo per modum formæ essentiam divinam aut potius ejus primum conceptum quidditativum consequentis significata.* Quicquid de hac sit descriptione, nos ita attributa divina in genere

mere definiemus, quòd sint conceptus inadaquati essentiam divinam secundum nostrum concipiendi modum proximè consequentes, ab aliis rebus distingventes, transcendentaliter & reciprocè denominantes. Ex hâc descriptione tria fluunt requisita, nempe realitas sive veritas, materialis identitas & deniq; formalis diversitas, quæ omnia ad hoc nostrum probè possunt applicari requisitum. Primò quòd vita verum & reale sit attributum, vel à reali denominatione, vel à remotione tùm falsitatis tùm fictionis manifestum est. Non enim falsum est, quando dico, DEUM vivere, neq; illud à ratione nostrâ ita saltem excogitatur: sed verum omninò est & realiter ipsam essentiam divinam denominat. Deinde quòd vita in DEO conceptum faciat inadæquatum, vel inde constat, quòd tùm ab essentia, tùm ab aliis attributis formaliter differat: ita n. non ipsam statim infert essentiam, nec conceptâ in DEO vitâ exemplò concipiuntur reliqua in DEO attributa, sed pro alio atq; alio statu alia atq; alia in DEO concipimus attributa.

§. 26. Porro Vita DEI non est attributum aliquod quidditativum & de conceptu DEI primo secundum nostrum concipiendi modum: Sed denominativum, vel ut alii loqvuntur, qualitativum s. consecutivum, quia non statim conceptâ DEI entitate, spiritualitate aut etiam independentiâ concipimus simul DEI Vitam & reliqua attributa, sed hæc ex illis quasi fluunt, eademq; proximè consequuntur. Atq; adeò quoad nostrum concipiendi modum sunt conceptus quasi secundi.

§. 27. Materiale hoc in loco est essentia divina, cum quâ identificatur Vita DEI, quia eidem non reale quid superaddit, sed rationis tantum: non quidem rationis puræ aut ratiocinantis; sed ratiocinatæ, quæ formalem propterea facit diversitatem, materialem tamen non negat identitatem. Materialis identitas reciprocâ includit denominationem, adeò ut attributa illa, quæ cum subiecto suo materialiter idem sunt, reciprocè quoq; illud denominent. Hæc materialis identitas cum in DEI vitâ reperiatur, non poterit nõ reciprocabilis cum essentiâ divinâ esse. Nam qui DEUS est, ille vivit, & quidem talem vitam, qualis DEO conveniens est: & qui talem vitam vivit, qualis DEO competit, ille quoq; DEUS est.

§. 28. Formalis diversitas ab aliis rebus distinctionem importat, quia quæcunq; gaudent peculiari formalitate & conceptibilitate

bilitate, illa non possunt non distincta esse ab iis rebus, quarum ratione peculiari gaudent formalitate & conceptibilitate. Nam peculiaris conceptibilitas s. formalitas semper infert distinctionem, quamvis non reciprocè quævis distinctio statim peculiarem involvat formalitatem. Hæc verò diversitas formalis, quum locum quoq; suum habeat in Dei vita, distincta eadem sit tum ab aliis rebus, tum à proprio subjecto, tum etiam à reliquis Dei attributis, necessum est.

§. 29. Dicitur porro, quòd *essentiale Dei sit attributum*. Hoc non ita est intelligendum, ac si vita Dei ipsa sit divina essentia formaliter, quod aliquoties à nobis hætenus negatum est: sed per & propter infinitam atq; actuosissimam essentiam, quæ in Deo est, ita quidem, ut *vita sit à se, in se, per se & propter se*. *A se* est non positivè & per causalem aliquam productionem: sed negativè per negationem productionis ab alio, quia ab alio Deus vitam non accepit nec accipere potuit, sed à seipso semper habet & ab omni seculo habuit, & in omne seculum habiturus est. *In se*, quia non est in alio vita Dei, sicuti animæ brutorum vitam habent, quamdiu in suis sunt corporibus: at Deus sui ipsius vita est in se & suâ essentiâ sine cujusvis alterius indigentia. *Per se*, quia non per actum quendam vitalem, aut per innatam quandam vivendi facultatem vivit, sed per suam essentiam, quia vita Dei ipsa est Dei essentia, quæ nata non est nec actus successivos habet, nec facultates agnoscit, sed increata & improducta est actuosissimè & perfectissimè vivens sine ullâ in vivendo dependentiâ. *Propter se*, quia non propter aliud vivit. In rebus creatis res ita comparata est, ut unum vivat propter aliud, creata omnia propter hominem & ipse homo propter Deum: sed Deus sicuti propter seipsum est & manet sibi omnia, ita & propter seipsum vivere colligitur. *Notatu digna verba sunt D. Augustini l. 8. de C. D. c. 6. non aliud est illi esse, aliud vivere, quasi possit esse non vivens, nec aliud illi est vivere, aliud intelligere, quasi possit vivere non intelligens, nec aliud est illi intelligere, aliud beatum esse, quasi possit intelligere & non beatus esse, sed quod est illi vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Quicquid de Deo dignè dicitur, non qualitas est, sed essentia.* Conf. Dn. D. Klozius disp. 5. §. 14.

§. 30. *Materiale divine vitæ antea notavimus, quòd sit ipsa divina essentia. Formale in reliquis descriptionis verbis indigitatur, ubi dicitur, quòd divina essentia actuosè vivat, in seipsâ & ex seipsâ vivendi movendiq; sit prædita, agat & operetur, agendoq; etiam aliis vi-*

tam communicet. Hoc formale ostendit 1. vitam in Deo non esse accidens, qualitatem, potentiam aut actum primum vitalem, distinctum ab actu secundo & ipsâ operatione vitali. Hoc enim si foret, periclitaretur Dei simplicitas, & compositus Deus statueretur ex subiecto & accidente, actu & potentiâ: tolleretur ejus purissima actualitas, independentia & infinita perfectio, quia partim actus primus principium passivum est secundum in se recipiens: partim producit secundum per veram efficientiam, qui ita in esse suo dependens est ab illo: partim etiam perficitur à secundo per operationem, quale quid Deo non competit. In illo enim nullum principium passivum est, nulla potentia passiva ab activâ perficienda; nulla actus secundi à primo dependentia, sed actus ille purissimus est independens & perfectissimus. 2. Vitam in Deo non esse per modum actus secundi, quasi sine interventu actus primi immediatè ab ipsâ essentiâ sit elicitus. Ita n. pariter divinæ derogaretur tum simplicitati tum actualitati, tum independentiæ, tum perfectioni, quum tamen Deus simplicissimè vivat & actuosissimè sine ullâ ad actum primum dependentiâ & imperfectiōis illatione. Et deniq; 3. vitam reale quid essentia divina non superaddere, sed esse à parte rei ipsam Dei essentiam inadæquatè apprehensam cum sui ipsius actione. Quando igitur essentia divina seipsam actuare dicitur, illud ita intelligendum est, quòd ad exercitium istius actus non indigeat extrinseco quodam accidente aut actu primo aut operatione propriè dictâ à se distinctâ, atq; sic non per veram efficientiam, sed per essentiam immediatè possideat totam actualitatem hujus vitæ, adeoq; non positivè, ac si Deus per verum influxum effectivum sibi tribuat vitam: sed negativè quòd actualitatem istam non habeat, ut ab alio productam. Vide hâc de re ulterius differentem Dn. D. Klozius l. c. p. 649.

§. 31. His explicatis accedimus modum vivendi in Deo. Inexplicabilis ille est, & sicuti ipsa divina essentia in hâc rerum caligine à nobis quidditativè non potest cognosci: ita nec ipsa Dei vita comprehensibilis erit. Est n. in Deo vita secundum modum longè excellentiorem & eminentiorem ac in creaturis. Audiamus hâc de re Svarezium l. c. sect. 14. n. 7. In modo vitæ, inquit, quem creatura habent duo considerare licet: unum, quòd existentes in suo naturali statu sese actuant, vel aliquo modo se perficiendo, vel in seipsis alia representando per cognitionem, vel in eâ tendendo per appetitum perfectum. Aliud est, quod

quod hæc efficiunt per veram causalitatem, & motionem, quâ seipsa movent, vel proprio motu, vel saltem mutatione perfectivâ. Prius horum perfectionis est, & nullam includit vel supponit imperfectionem nisi quatenus includit posterius, i. e. quatenus illud actuare se, est per veram causalitatem. Hæc E. imperfectio tollenda est à vitâ Dei, & solum id, quod perfectionis est, illi est attribuendum: atq; ita concipiendus est DEUS ut actualissimè habens totam illam perfectionem, quam habet vivens quùm sese actuat intelligendo, vel cognoscendo, seclusâ illâ imperfectione distinctionis inter actum & potentiam, & causalitatis. Et similiratione, quod in vitâ creatâ distinguatur in re ipsâ vita in actu primo à vitâ in actu secundo: & quod illa sit principium hujus, hæc verò forma illius, non est perfectionis simpliciter, sed includendo imperfectionem. Illud verò est in priori vita perfectionis simpliciter, quod nimirum est substantialis vita: in posteriori verò quod est vita actualis: utrumq; E. horum unitissimè & simplicissimè conjungitur in vitâ Dei absq; ullâ imperfectione: nam per suammet substantiam actualissimè vivit; & in ejus vitâ non est actus primus aut secundus, sed purissimus actus: & ideo non est ibi vita accidentalis, sed per essentiam: qua propter non solum est substantia vivens: sed ipsa substantialis vita. Hæc verba à B. Jacobo Martini l. c. itidem notata & eadem serie recensita propterea ascribere non piguit, quia satis luculenter ostendunt, modum vivendi in Deo esse simplicissimum, perfectissimum, felicissimum & sufficientissimum. Perfectissimus est, quia Deus perfectissimum Ens, ac propterea perfectissimum vivens, quùm nihil omninò ei desit ad vitæ integritatem. Simplicissimus est, quia in Deum nulla cadit compositio, nec ejus vita ab essentiâ realiter differt, nec fit per successionem ac multiplicationem actuum vitalium. Felicissimus est & sufficientissimus, quia nullo extrinseco indiget vel ut sit vel ut benè sit. Ipsa enim divina essentia sine ullo addito est actualissimè vivens, & sic in se continet omnia, quæ ad vitæ felicitatem facere posse videntur.

§. 32. Quùm verò vita Dei sine certis sive actibus sive gradibus esse haud possit, restat, ut de iisdem nonnulla quoq; in medium adducamus. Vitam primò sequitur Intellectualitas, quæ est attributum Dei essentielle, quo essentia divina & seipsam & omnia alia intelligibilia unico actu & intuitu divino modo comprehendit. Prolixiùse eandem describit Jacobus Martini l. c. p. 843. Intellectus Dei est essenziale attributum Dei, per quod omninò omnia & singula verè sine ullo errore & mutabilitate

proprieq; uno aeterno & simplicissimo actu simul perfectissime, certissime, evidentissime & distinctissime in sua essentia introspicit, ac a priori exactissime scit ac intelligit, nihil unquam ignorans, nihil more humano successively addiscens vel cognoscens nihilq; obliviscens.

§. 33. Primò Deum intellectualem esse vel ex ipsa spiritualitate, perfectione, simplicitate, infinitate, immutabilitate & actualitate Dei probatu difficile haud esset, nisi in angustias copia sint coarctandæ. Nam quod spirituale est, perfectissimum est, & aliis etiam perfectiones largitur, quod simplicissimum est, omnis omnino compositionis expers, quod infinitum est, immutabile est & summum actuale, illud intellectuale sit necessum est. Atqui Deus est spiritualis, perfectissimus, simplicissimus, infinitus, immutabilis & summè actualis. E. Verùm quùm hæc in concessio ac professo sint, & nil nisi paucissimæ *Quæstiones* Conradi Vorstii & nonnullorum Philosophorum vetustiorum obstant, illis ut breviter faciamus satis non prorsus inutile erit. Vorstio accuratè respondit B. Dn. D. Scharff. in *Pnevm. l. 2. c. 4. q. 4. ex Augustino l. 6. de Trinitate cap. 7. Grawero disp. 9. quæst. illust. q. 7. Jacobo Martini disp. de causâ per accidens, quæ ibi videri possunt. Maximus apud Nicetum l. 2. Thes. c. 17. & Picus q. 12. apol. negant Deum intelligere, ex eâ ratione, ne compositus existimetur, quasi verò Deus propterea fieret compositus, quia intellectualis est? Quid si assumeremus eorum sententiam, qui neq; in creaturâ rationali intellectum & voluntatem à subjecto realiter differre existimant. Certè si Cæsari Philosophico præbeas aures, illumq; exercit. 137. sect. 17. distantem sequâre, non affirmabis, neq; si cum *Clariss. Ebelio in Metaphysicis* feceris. Sed quicquid sit, nostram hanc non faciemus sententiam, quæ aliàs Nominalium est, nos *dist. inter intellectualitatem creaturarum & Creatoris, Spiritus finiti & infiniti, item inter intellectualitatem dependentem & independentem.* Intellectualitas quidem in rebus creatis, quia accidens est, quod ingenuè fatemur, atq; alibi contra Nominales & in specie Ebelium astruximus, compositionem facit, quod idem tamen intellectualitas Creatoris non præstat. In spiritu finito compositio quidem oritur, quando ex subjecto & intellectualitate fit coalitio, verùm non in spiritu infinito, ubi ejusmodi attributa nec à se invicem nec à suo subjecto realiter distinguuntur. Intellectualitas dependens compositionem facit, quia à subjecto vel etiam superiore dependet: non verò illa, quæ planè & omni
pror-*

prorsus modo independens est, qualis est ista, quæ Deo hoc in loco ascribitur. Idem cum Maximo dicunt *Philoponus & Plotinus*, nempe id, quod est supra ens, non intelligere, quum intellectio sit aliquid distinctum ab eo, quod intelligit. Eadem sententia *Platoniorum* reliquorum fuit, teste *D. Klozio l.c.* dicentium: *Deum non esse ens, non substantiam, nec quicquam eorum, quæ nobis competunt, Deo convenire.*

§. 34. In descriptione notamus primò quòd dicatur attributum Dei *essentiale*. *Attributum* est, quia reverà Deo competit absq; omni fictione propriè & realiter. *Divinum* est, quia uni & soli Deo tribuitur. *Essentiale* dicitur, quia est ipsius essentia actus, est actus DEI intrinsecus, adeò ut ipsum DEI esse sit & ipsum intelligere.

§. 35. Deinde declaratur *objectum intellectûs divini*. Quoad hoc sciendum, illud *vel esse infinitum*, ut Deus ipse: *vel finitum*, ut quævis alia cognoscibilia s. actu s. potentiâ fuerint. De Deo disquiritur: *utrum ille semetipsum possit intelligere?* *Thomas part. 1. q. 14. art. 2.* tria movet dubia: 1. dicit: *Videtur quòd Deus non intelligat se, quum libro de causis propos. 15. dicatur, quòd omnis sciens, qui scit suam essentiam, sit rediens ad essentiam suam reditione completâ: sed Deus non exit extra essentiam suam, nec aliquo modo movetur, & sic non competit sibi redire ad suam essentiam. E. ipse non est sciens suam essentiam.* 2. ait: *intelligere est quoddam pati & moveri, ut dicitur l. 3. de animâ text. 12. & 28. Scientia etiam est assimilatio ad rem scitam, & scitum etiam est perfectio scientis. Sed nihil movetur vel patitur vel perficitur à se ipso, neq; similitudo sibi ipsi est, ut dicit Hilarius l. 3. de Trin. c. 1.* 3. ponit: *Præcipuè Deo similes sumus secundum intellectum, quia secundum intellectum sumus ad imaginem Dei, ut dicit August. l. 15. de Trin. c. 1. sed intellectus noster non intelligit se nisi sicut intelligit alia, ut dicitur l. 3. de animâ text. 15. E. Deus non intelligit se nisi fortè intelligendo alia.* Verùm his dubiis satisfacit ipse, & adhuc accuratiùs atq; prolixius *Dn. D. Deutschmannus l.c. Dn. D. Klozius affirmativam questionis l. c. p. 671.* probat tum ex ratione essentia Dei, tum ex perfectione ejusdem, tum à posteriori ex intellectûs humani consideratione. Et sanè intellectus noster cognoscit DEUM, licet confuse, multò E. magis DEUS se ipsum cognoscere poterit distinctè ob intelligentis ad intelligibile proportionem & approximationem debitam. Imò quicquid verum est, illud ab aliquo intellectu potissimum tamen divino intelligibile est: Atqui divina essentia vera est. E.

§. 36. *Objectum intelligentiæ divinæ secundarium sive finitum sunt*
1. omnes creaturae. Quicquid enim intelligibile est, illud divinum
intellectum subterfugere non potest ob summam ejus perfectionem.
At creaturas intelligibiles esse nemo in dubium vocabit. E. neq;
hoc, quod creaturæ intellectus divini sint objectum. *2. singularia, &*
universalia. Illa quidem cognoscit DEUS, quia circa eadem suas
exercet actiones. Hæc verò quia DEUS cognoscendo singularia unà
quoq; cognoscit eorum prædicata essentialia omnia, quæ nihil aliud
sunt, quàm universalia. *3. materialia & immaterialia.* Hæc quia se-
ipsum, Angelos & animam nostram cognoscit: illa, quia eadem
produxit. *4. necessaria atq; contingentia.* Illa etiam creatura intelli-
git: hæc verò propter summam perfectionem & intellectus divini im-
mutabilitatem cognoscere rectè dicitur. Quòd si enim DEUS con-
tingentia eo ipso, quo sunt, cognoscit, eadem quoq; ante sui exi-
stentiam cognoscat oportet, ne fiat aliqua in intellectu divino mu-
tatio. *5. non tantum ea, quæ actu existunt, sed & possibilis, sive ea futura*
sint, nec ne, quin etiam indirectè impossibilia. Atq; hoc præterquam
quòd ex summâ intellectiōis divinæ perfectione pateat, evincit
potentiæ divinæ cognitio. Etenim si potentiam suam plenè cogno-
scit, etiam quæ possibilis sunt novisse eundem oportet. Impossibilia
quoq; cognoscit propter hanc oppositam possibilium cognitionem,
quia hæc cognoscere non posset, nisi cognosceret quoq; impossi-
bilia. *6. Entia rationis atq; ac realia, privativa ac negativa pariter atq; po-*
sitiva. Illa nempe rationis & privativa entia cognoscit, tum quia
nostræ cogitationes ignotæ ipsi neutiquam sunt: tum quia habitum
privationi oppositum intelligit. Habitum autem DEUM cognoscere
extra omne dubium est. *Et deniq; 7. cognoscit DEUS tam bona quam*
mala, sive sint physicè sive moraliter talia. De bonis itidem dubium nul-
lum est: mala v. sive physica sive ethica cognoscendo oppositam bo-
nitatis formam, unà in illis bonitatis negationem deprehendit.
Accedit, quòd & peculiare circa mala moralia exercent actus vel
puniendo vel permittendo vel dispensando: ignota igitur ea esse
nequeunt.

§. 37. *Alter gradus vitæ in Deo est Voluntas, & est attributum*
Dei essentialis, quo is omnia, quæcumq; vult, ab omni æternitate à seipso
uno constantiq; & libero actu vult, desinente iterum B. Jacobo Martini
l. c. p. 845. Hanc Dei voluntatem probat facile necessaria ejus cum in-
telle.

Intellectu cohesio, siquidem non minus ac appetitus naturalis cognitionem naturalem, appetitus sensualis cognitionem sensitivam, ita quoque appetitus intellectualis intellectum sive cognitionem intellectualem sequatur. Voluntatem quoque eidem assignandam esse manifestè sequitur. *Persuadet hoc ipsum & ipsa voluntatis conditio.* Quum enim sit simplex quaedam perfectio in creaturis, eandem quoque DEO formaliter convenire consequitur. *Denique agendi ratio*, quæ in DEO est, eandem voluntatem probat. Non semper agit DEUS secundum omnem suam potentiam, quum possit plura agere quam agit. Non erit igitur agens necessarium & merè naturale, sed liberrimè actiones ipsum terminare dicendum erit.

§. 38. In specie sciendum 1. *hanc voluntatem Dei nec ab intellectu, nec ab essentia differre realiter*, quod ille facilè crediderit, qui aliàs novit, nullam affectionum divinarum vel ab essentiâ DEI vel ab aliis affectionibus differre realiter. 2. *quod sit actus simplicissimus, eternus & immutabilis*, quod itidem tum ex ipsius omnimodâ ad essentiæ identitate, tum ex absolutâ imperfectionis de DEO negatione colligere licet. Si enim plures essent actus, singuli seorsim sumpti essent imperfecti, quia unus non posset præstare id, quod omnes simul sumpti. Immutabilis verò est hic actus, non ratione objecti, ac si DEUS in eo non posset velle mutationem, neque hoc sensu, ac si DEUS esset Ens necessarium in agendo, quasi aliter agere non possit, sed necessariò agat, quodcumque agit: verum hoc modo, quia DEUS, quod semel voluit, iterum nolle non potest. Hæc enim mutabilitas voluntatis repugnat tum summæ DEI immutabilitati, tum voluntatis cum essentiâ identitati. *Neque 3. appetitus desiderij in Deum cadit*, quod summa ipsius beatitudo evincit, quia sibi ipsi sufficit, nec ullo bono destituitur. *Neque 4. hæc Dei voluntas fertur in bonum apparens*, quod vel inde constat, quia bonum apparens appetere arguit imperfectionem tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis.

§. 39. *Est tamen Voluntas hæc Dei vel absoluta*, quâ DEUS simpliciter aliquid vult fieri sine respectu conditionis, quæ vel jamdum est vel olim futura est in creaturis: sic simpliciter voluit homines creare: *vel conditionata*, quum DEUS non nisi suppositâ certâ conditione aliquid vult. Sic DEUS vult omnes homines bonâ sanitate præditos ad annos aliquot ad minimum servare, verum non nisi suppositâ

positâ hâc conditione, si scilicet cibus ad sustentationem corporis nostri ordinatis utantur.

§. 40. *Objectum voluntatis iterum duplex est vel primum vel secundarium. Primum DEUS ipse est: Secundarium res omnes finitæ. Prius probatur hoc modo: Q. summè bonum est, illud primario voluntatis divinæ objectum est: Atqui DEUS summè bonus est. E. primario voluntatis divinæ objectum est. Posterius itidem confirmatur hoc argumento: Q. à Deo creatum est, illud etiam respectu ejus appetibile ac amabile est. Atqui res omnes finite sunt à Deo create. E. etiam respectu ejus appetibiles sunt ac amabiles, & per consequens ejus quoque objectum.*

§. 41. *Tandem quum huic divinæ voluntati paulò ante immutabilitatis laudem assignaverimus, ideò voluntatem hanc, quæ Deum respicit, liberam non esse dicimus quoad specificationem. Non enim se DEUS potest odisse, quum sit summum bonum: neque quoad exercitium, quum enim DEUS semetipsum semper cognoscat, esse summum bonum, à sui amore cessare nequit, quia hoc imperfectionis foret. Respectu creaturarum actu existentium iterum non est libera quoad specificationem, quia condidit creaturas, quales voluit. In DEUM autem caderet aliqua mutatio, si, quas semel voluit, aliquando averfaretur aut odio haberet. Libera tamen est hæc voluntas quoad exercitium, quum DEUS ita voluerit producere creaturas, ut etiam potuerit ab æterno non voluisse. Examinandæ nunc forent Adversariorum strophæ contra tum Intellectum tum Voluntatem Dei hinc inde occurrentes: Verum quia pagellarum angustia hoc non permittit, ad conflictum easdem reservabimus. Nos finimus & Deo Viventi, Intelligenti & Volenti perfectissimo ac simplicissimo submissas licamus laudes*

& grates,

Tantum!



05 A 2513

ULB Halle

3


004 545 087



05 A







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

NEVMATICA

DEI,

ximo Annuente

I D E

O

Clarissimo

NE MANITIO,

on. Alumno.

tore omni observantia
etatem devene-

ἐν τῶν συζητήσ
it

NDERLINUS,

ronianus.

ris antemeridianis.

Minori.



R G Æ,

LIS Wendt /

C. LXIV.

Handwritten signature or initials in brown ink.